

intrinsecus replevit, ut videretur exterius quodammodo alterari. Inde consolatricem omnium peccatorum Mariam matrem domini nostri Iesu indicibili complectebatur amore, eo quod ipsa plenitudinem gratiae apud dominum invenerit et unigenitum dei patris nobis fratrem effecerit. Principes etiam ecclesiae apostolos magna devotione venerabatur et, quia amor Christi in corde eorum ardebat et lingua eorum caelum reserabat, cottidie etiam ipsos devotae orationis speculo ab ineunte aetate specialiter honorabat. Ingenita etiam pietate in Christo flagrabat, quam ardor pietatis Christi duplicabat. Postremo in his virtutibus gradientem et proficientem oculus divinae bonitatis respexit et ad interiora cubiculi sui sponsus ecclesiae, quem dilexit, introduxit. Sed quid de immensis consolationibus divinis, in quibus absorpta fuit anima diligentis, dicere potero? Introductus enim ad secreta colloquia sponsi sui audivit verba amatoria et consolatoria, quae non formantur oris modulatione, sed amoris unione. Unde ego animalis homo de his loqui pertimesco. Fateor enim, hic me arguit inopia sensus, non voluntatis. Interrogatus etiam ipse amicus sponsi Conradus a fratribus suis, qualiter se haberet, cum consolatio divina adesset, hoc respondere consuevit: „Humanis“, inquit, „verbis hoc exprimi non potest.“ Et addidit: „Hoc solum scio, si totius mundi machina meae ditioni subderetur et omnium in eo substantia rerum meo usui famularetur et si pro eorum mercimonio unam adhuc consolationem similem huic, qua aliquando gavisus sum, comparare possem, tunc in semicintiis pauperrimi hominis, quoad viverem, libenter egerem et cariturus mundi monarchatu et omnium rerum dominio ipsam libentissime pro his omnibus mercarer.“ Et quia in semitis domini Iesu posuit vestigia, ideo non retraxit pedem, donec cursum itineris sui feliciter consummaret.

Cap. 6 [De dulcedine XXX diebus durante, quam sensit in celebratione primae missae]

Sacerdotes dei et ministri Christi, rogo, diligenter attendite, qui exemplum sacerdotalis vitae et virtutum speculum habetis in viro consorte. Vinum bonum laetitiae spiritualis, quod Maria virgo de pectore Iesu Christi sua hydria hausit et pro meritis servi sui Conradi filii ecclesiae communicare voluit, prout melius potero, vobis appono et propino. Haurite ergo nunc et bibite, carissimi, ut tali vino inebriemini. Primo spiritualium carismatum dona, quae ei pater luminum in mysterio sacerdotali contulit, narrare incipiamus. Cum esset Conradus sacerdotali nomine et ordine praeditus, suum officium sacris moribus adornavit et, sicut spirituale decet ministerium, spiritaliter adimplevit. Atten-